

pum totius Psalmi. De aliorum, de quibus nunc agere nihil attinet, similibus explicationibus simile esto iudicium. Placet enim, & omnibus facile præferenda esse aliis videtur, illorum sententia, qui, solidis innixi fundamentis, ostenderunt, contineri in Psalmo LXXV colloquium quasi aliquod Filii Dei & Ecclesiæ pressæ, seu omnium fidelium, in adversitatibus constitutorum. Hoc posito, scopus totius Psalmi erit, consolari Ecclesiam, multis malis & persecutionibus districtam, & quidem solatii argumentis desumptis  $\alpha$ ) A perpetua Nominis divini præsentia, vers. 2,  $\beta$ ) A justo iudicio divino, vers. 3,  $\gamma$ ) A promissionibus divinis, fidelibus datis, de eorundem conservatione, vers. 4,  $\delta$ ) A justa vindicta divina, vers. 5 - 9,  $\epsilon$ ) A totali infidelium extirpatione, vers. 10, sq. Confer. GESNERI *Commentat. in hunc Psalmum.*

### §. III.

Textus ipse, quem explanandum mihi sumsi, ex Psalmo LXXV, commate 2, in fonte ipso sic fluit:

הוֹדִינוּ לָךְ אֱלֹהִים הוֹדִינוּ וְקָרֹב שְׁמֶךָ סִפְרוּ נִבְלָאֲתֶיךָ:

In Versione Septuaginta-Virali sic sese habet:

Ἐξομολογησόμεθα σοι ὁ Θεός, ἐξομολογησόμεθα, καὶ ἐπιμαλεσόμεθα τὸ ὄνομά σου· διηγήσομαι πάντα τὰ θαυμάσιά σου.

Vulgata fontem ita exponit:

Confitebimur tibi, Deus, confitebimur, & invocabimus nomen tuum: Narrabimus mirabilia tua.

Osiandri hæc versio est:

Confitebimur tibi, Deus, confitebimur,  
lauda-